

pei ornamentum duo *cornua* (b). A quo *Thuringiae palatinatus* insigne in eo differt (c), quod scutum huius fit *nigrum*.

§. XII. Sufficiant haec territoriorum insignia, quorum mentionem faciunt Saxones (d) in titulis suorum principum. Quamuis enim scutum Saxonicum aliis pluribus vetustiorum comitatum symbolis (e) instructum sit: operae tamen pretium non esse credidimus, tenere auditores illorum explicatione (f). In eo certe Saxones a moribus abeunt principum Germanice aliorum (g), quod titulus curialis alias vel

(b) Vtrique palatinatui, Saxonico & Thuringico, communia.

(c) Vtinam historiam haberemus vtriusque huius palatinatus, in qua *Sagittarius*, *Schurzfleischius*, aliique fuere occupati; a quibus *Hoennius* c. 2. p. 36. abit, qui vtrumque palatinatum habet pro eodem, qui tantum inter lineas diuersas fuerit diuisus. Quam coniecturam adiuuat vtriusque heraldici symboli similitudo. Ceterum ratio tamen singularum Germaniae prouinciarum vult, vt credamus, Caesarem in quaque singulare palatium habuisse, & singularem palatinum. Atque haec forte causa est, quare vterque palatinus *aquilam* gerat, insigne forsitan omnibus palatinis prouincialibus commune. Vt illud indicio esset, palatinos officiales tantum esse, necququam vero dominos peculiaris ac proprii territorii.

(d) Cetera enim territoriorum insignia, quae ipsi in titulo non commemorant, neque nobis digna visa sunt singulari explicatione. Accedit, quod *Spenerus* Saxonica insignia in peculiari libello descripsit, quem passim emendarunt *Hoennius*, *Tenzelius* & *Schlegelius*, eruditae antiquitatis indagatores.

(e) Ita enim *Saxonici palatinatus*, *Orlamundani*, *Vinariensis*, aliorumque comitatum & dynastiarum symbolo conspiciuntur. Quae rationes habent vetustate sepultas. Deinde inter ipsos Saxoniae duces insignium discrimina sunt. Quidam enim territoria noua acquisuerunt, quibuscum alii Saxoniae principes nil habent commune, *Ifenacensis* ducis exemplo, qui symbolorum *Wittgensteinensium* & *Saynensium* fieri vult mentionem.

(f) Ne his symbolis recensendis nimium temporis abeat, studio rerum aliarum destinati.

(g) Quod etiam *Hoennius* aduertit cap. 2. p. 32.